cum exercitu Cremonensium ivit ad obsidendum quoddam
castrum Brixie. Tunc habita oportunitate, consanguinei pape
cum expulsis[a] de Parma qui in Placentia residebant Par-
mam de assensu[b] populi audacter intraverunt et partem
Federici expulerunt. In quorum auxilio fuit Gregorius
legatus supra dictus cum multis civitatibus Lombardie.
Quo audito, Federicus velociter illuc pergit cum Eçelino,
qui in eius auxilium venerat cum militia marchie
Trivisine. Fecit autem Federicus circa Parmam civitatem,
quam Victoriam nominavit, asserens se numquam inde
nisi cum victoria recessurum. Expugnabat autem Parmam
sex mensibus, donec yems obsidionem solveret. Sed reno-
vato tempore legatus cum civibus habita deliberatione,
in Victoriam civitatem irruerunt. Federicus autem
impetum sustinere non valens, dimissis multis divitiis,
versus Cremonam pavidus fugit. || - - - - - -

Ludwig IX. ...

~~47. pars. Qualiter Damieta est reddita, Saracenis,~~ f. 160.
~~et de Pelavicino et crudelitate Eçelini.~~

. . . ~~f. D. 31 A~~ ~~1250.~~ MCCL. Cremonenses contra Parmenses
vadunt, illique improvide eis cum carroccio occurrunt
et de prelio fugientes carroccium dimittunt. || Eodem
anno Federicus vadit in Apuliam et gravi pressus infir-
mitate ibi moritur, qui omnes augustos in divitiis, potentia,
gloria a Karulo Magno citra superavit, nichil secum
preter peccata portans. || Per idem tempus populus
Placentinus contra suos milites concitatus, * auxilium *f. 160'
Cremonensium imploravit, et expulsis militibus, Ubertum
Pelavicinum in suum dominum elegit. || Eo quoque tempore
mortuus est in Apulia Rignaldus filius marchionis
Estensis, quem pro obside Federicus acceperat. Reliquit
autem filium Obiçum et filiam quam marchio legit-
timari fecit tam per papam quam per regem Alemannie.
Nati enim erant ex quadam nobili puella de Apulia
et non ex legittimo thoro. || Dominus Gregorius de Monte- Ditus
longo legatus supra memoratus patriarcha Aquilegiensis
efficitur. || Eçelinus autem firmiter credens magnam
conspirationem factam contra se a militibus marchie,
maximam eorum stragem edidit. || Manfredus regni ~~...~~
Sicilie assumpsit dominium, sed non in toto propter
regem Corradum. || Innocentius autem a ~~44~~ XLIIII^o anno usque

a) expulsione corr. expulsis
b) pape add. et del.